DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES GAMBLE,

HIBERNUS,

Societ. Hibern. Med. Edin. Soc. Extraord. et Praeſes Annuus.

He is chaſtened alſo with pain upon his bed, and the multitude of his bones with ſtrong pain: *So that his life abhorreth bread, and his ſoul dainty meat. His fleſh is conſumed away that it cannot be ſeen; and his bones,* that *were not ſeen, ſtick out. Yea, his ſoul draweth near unto the grave, and his life to the deſtroyers.*——JOB.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIII.

Patri ſuo chariſſimo

A. GAMBLE,

De Strabane,

In comitatu Tyronienſi,

Virtutibus inſignibus, moribuſque ingenuis;

Propinquis dilecto,

Amicis caro,

Vicinis accepto;

Propter multa beneficia in ſe collata,

Et propter amorem paternum,

Quo non ſemper non ſecutus eſt;

Hanc Diſſertationem Medicam Inauguralem,

Exiguum quidem,

Sed ſincerum,

Animi haud ingrati monumentum,

D. D. Cque

J. GAMBLE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Auct. JOANNE GAMBLE.

DEFINITIO.

CULLENUS celeberrimus, cui in morbis ordinandis nemo unquam antecelluit, hunc morbum in ordine Phlegmaſiarum collocavit; et in egregio opere, Synopſi Noſologiae Methodicae, his verbis definivit.

"Morbus ab externa, et plerumque evidente

 "cauſa;

" cauſa; pyrexia, dolor circa articulos, muſcu-
" lorum tractum ſequens, genua et reliquos
" majores, potius quam pedum vel manuum, ar-
" ticulos, infeſtans, calore externo auctus."

HISTORIA MORBI.

Rheumatiſmus a pubertate ad annum trigeſimum quintum, et aliquando etiam ad quadrageſimum, accidit. Hoc experientia Profeſſoris Home confirmatum eſt, qui in praelectionibus ſuis affirmat, ſe nunquam rheumatiſmo aegrotantum vidiſſe, qui decimum quintum aetatis annum non egerat, aut quadrageſimum tranſgreſſus fuerat. Hic morbus utrumque ſexum invadit; ſed Profeſſor Home celeb. foeminas, ſaepius quam mares, eo corripi, affirmat.

Omnia temperamenta rheumatiſmo acuto affici poſſunt; ſanguineum vero hujus impetui ma-

gis

gis obnoxium. Obſervatum eſt, corpus in hunc morbum uſu hydrargyri longo proclivius reddi.

Obſervatum eſt quoque, eos qui in florente aetate rheumatiſmo acuto affecti ſunt, in aetate ſenili arthrodynia, ſeu rheumatiſmo chronico, ſaepe eſſe proclives.

Tempore verno, et autumnali, rheumatiſmus potiſſimum viget; regiones plerumque infeſtat in quibus coeli mutationes inſignes et ſubitaneae accidunt.

Morbus ſignis pyrexiae plerumque incipit: Æger languore, laſſitudine, et horrore, primo corripitur; brevi calor auctus, ſitis, anxietas, et inquietudo, ſuperveniunt; ictus arteriarum frequentes, pleni, ac ſaepe duri evadunt; et cibi appetitus fere proſternitur.

His ſignis brevi ſuperveniunt dolores vagi, et

acuti,

acuti, qui tractum muſculorum ſequuntur, in variis corporis partibus, praecipue autem in artuum ſuperiorum ac inferiorum juncturis.

Hi dolores ab una ad locum ſaepe mutant aliam juncturam, et, nonnullis in exemplis, in aliqua parte oriuntur, antequam ſigna jam enumerata ſe oſtenderint. Cum hoc vero accidit, morbus partis ſingularis, potius quam totius corporis, affectio eſſe videtur.

Poſtquam artus doloribus aliquamdiu affecti ſunt, tumor et rubor ſupervenire ſolent; his autem dolores non ſemper levantur. Artus affecti vix aut ne vix quidem moveri poſſunt, et dolores, calore externo, tactu leviſſimo, vel muſculorum exercitatione, multum augentur.

Articuli majores plerumque laborant; quales ſunt coxendix, genua, humerus, et cubitus, maleolus,

maleolus, et carpus ſaepe, manuum autem et pedum digiti rarius, afficiuntur.

Omnia ſigna veſpere intenduntur; dolores locum ſuum mutare maxime jam ſolent, et calore lecti, vel alio externo aucti, aegrotantem per totam noctem inſomnem miſere fatigant.

Sudor partium quarundam, nonnullis in exemplis ab initio, adeſt; hic tamen nec univerſus nec copioſus dolorem raro mitigat, articuluſque affectus ſiccus ac rigidus manere ſolet.

Urina, per totum fere morbi decurſum, decolor eſt, nec ſedimentum deponit, et, etiamſi hoc fiat, morbum minime ſolvit: Morbus enim, poſtquam tale ſedimentum ſeſe oſtendit, ſaepe manet.

Sanguis e vena detractus, in hoc morbo, ut in

in aliis inflammationem habentibus, cruſtam album oſtendit.

Tuſſis moleſta aegrotantem nonnunquam vexat, et ſigna haud parum intendit.

Ad pyrexiae vehementiam quod attinet, illa ultra duas treſve ſeptimanas raro ſaevit: Omnia nunc ſigna fere remittunt, et dolores, qui ſitum ſuum jam non aeque facile mutant, haud parum imminuuntur.

Rheumatiſmus ab aliis inflammationibus haud parum diſcrepat; nam ſaepiſſime reſolutione terminatur; raro autem in ſuppurationem, et in gangraenam aut ſchirrum nunquam deſinit; nonnullis tamen in caſibus, liquores gelatinoſi, qui reſorbeantur, tendinum in vaginis aliquando effunduntur. In arthrodyniam, ſive in rheumatiſmum vetuſtum, et praecipue quando impe-

rite

rite tractatur, ſaepe deſinere ſolet; raro aut nunquam fere lethalis.

DE CAUSIS REMOTIS.

Hae in praediſponentes, et occaſionales, vel excitantes, recte dividuntur.

Diatheſis phlogiſtica eſt illa conditio corporis praecipua, quae homines huic morbo opportunos reddit; hinc incolae coeli ſeptentrionalis, juvenes, et qui temperamento ſanguineo praediti ſunt, hoc morbo potiſſimum corripiuntur.

Quoniam obſervatio et experientia docent, diatheſin phlogiſticam opportunitatem in hunc morbum conſtituere, ſequitur, omnia quae eam inducunt, inter cauſas praediſponentes enumeranda eſſe. Hae ſunt, genus vitae otioſum, ſedentarium,

dentárium, victus plenus, opiparus, evacuationum ſolitarum diminutio aut ſuppreſſio, ſanguinis detráctio ſolita neglecta, exhalatio per cutem minuta, vel ſuppreſſa, haemorrhoides vel menſes repreſſi, quae cauſa ultima forſan praecipua eſt, cur tam ſaepe mulieres hoc morbo laborant.

Praeter cauſas jam recenſitas, auctores alias enumerare ſolent: Omnia ſcilicet quae corpus debilitant, ſolvunt, aut irritabile reddunt; uti prava conſuetudo vivendi, morbi praegreſſi, et longus hydrargyri uſus.

Cauſarum excitantium frigus frequentiſſimum eſt, maxime cum humiditate conjunctum. Morbus inducitur magnis et crebris coeli mutationibus; hinc vere, et autumno, rheumatiſmus frequentius occùrrit. Inducitur quoque expoſitione ad ſubitum frigus, poſt vehementem exercitationem, atque veſtibus madidis, ſi qui in iis diutius ſederint, ſubito et magno frigore.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus cum rheumatiſmo acuto intercedit aliqua ſimilitudo, ſunt rheumatiſmus vetuſtus, ſeu arthrodynia, ſyphilis, ſcorbutus, et podagra.

Hic itaque loci, quibus rebus a ſe invicem differant, exponere opportet.

Signis propriis rite perpenſis, diagnoſis rheumatiſmum vetuſtum inter et acutum ſatis manifeſta erit. In illo nulla adeſt pyrexia, artus frigeſcunt, rigent, et ſine rubore dolent, et dolores, frigore admoto, augentur, calore applicato, multum levantur. In hoc vero pyrexia ſemper praeſens, artus tumore et rubore aſſiciuntur, et dolores calore externo maxime intenduntur.

In ſyphilitide, dolores, mediis oſſibus ſolidiſ-

ſimis, fieri ſolent; oſſa cranii ſaepe afficiuntur, et exoſtoſes aliquando obſervantur, quod nunquam fit in rheumatiſmo.

Porro, in ſyphilitide pars tactu non dolet, ut ſemper in rheumatiſmo fit. Denique, non oſſa, ſed ligamenta, et aponeuroſes muſculorum tendineae, in rheumatiſmo plerumque infeſtantur.

Scorbutum ſignis ſequentibus a rheumatiſmo diſtinguere poſſumus; ille enim cum laſſitudine et torpore inſolito incipit; facies fit pallida, et oculi circulo livido circumdantur; gingivae molles ac ſpongioſae evadunt, et a tactu leviſſimo ſanguinem effundunt; ſpiritus foetet, corpuſque maculis lividis, foedum evadit, et ab initio ictus arteriarum debiles fiunt; quae res longe aliter in rheumatiſmo ſe habent.

Podagram inter et rheumatiſmum diagnoſis multo magis difficilis erit; ſed ſigna evidentiora

quibus

quibus unus ab altero clare internoſcatur, hic oſtendere tentabo.

Podagra eſt morbus haereditarius, rheumatiſmus nunquam: Podagra aetate provectiore adoritur; rheumatiſmus vero juniores invadit; illa mares quam foeminas, hic foeminas ſaepius corripit; in podagra, dolor ſaepe cum ventriculi, vel partium internarum aliarum, affectionibus alternat, quod ſignum rheumatiſmum nunquam comitatur; rheumatiſmus artus majores, rariſſime minores, et ſuperiores ſaepius quam inferiores, occupat, et dolores tractum muſculorum fere ſemper ſequuntur; porro, arthritici, paroxyſmum ſuum ad aliquam cibi potuſve intemperantiam, ſed rheumatiſmo laborantes frigori aut humiditati applicato, referre poſſunt.

PROGNO-

PROGNOSIS.

Quamvis rheumatiſmi dolores acerrimi ſunt, tamen vix unquam lethalis eſt: Si aeger ſit juvenis, nec morbis praegreſſis exhauſtus, ſi pyrexiae ſymptomata mitia ſunt, ſi ſudor calidus atque copioſus prorumpat, qui per horas duodecim perſtat, ſi haemorrhagia, diarrhoea, aut cutis efflorefcentia, febris ſymptomatibus levamen attulerit, denique, ſi aeger nunquam ante hoc morbo correptus ſit, exitum morbi fauſtum fore pro certo concludere licebit. Spem hujus eventus ſequentia firmabunt; urina multa ſedimentum copioſum deponens, lingua humida et nitida, et appetitus cibi rediens; nec praetereundum hunc morbum, vel eruptionibus ſuper cutem, vel ulceribus partium quibus epiſpaſtica admota fuerunt, nonnunquam finire.

Contra

Contra autem, ſi morbus aetate provectum corripiat, cuique vires vel hoc vel aliis morbis fractae ſunt, et dolores una junctura fixi manent, prognoſis magis infauſta erit; rebus enim hoc modo ſe habentibus, morbus in rheumatiſmum chronicum, et nonnunquam in paralyſin vix ſanandam, abire ſolet.

DE RATIONE MEDENDI.

Cum inter medicos jam convenit, rheumatiſmum ad phlegmaſias pertinere, conſilia medendi in duo ſequentia dividuntur.

Primo, ſanguinis in toto corpore, et praecipue partibus affectis, impetum diminuere. Secundo, ſpaſmum vaſorum extremorum ſolvere.

Regimen antiphlogiſticum ad primum conſilium abſolvendum imprimis neceſſarium eſt;

hoc

hoc praecipue conſiſtit in omnibus evitandis quae genus nervoſum convellunt, ſeu ictus arteriarum intendunt: "Abſtinendum igitur a ſtu-
"dio, aut negotiis, aut multa cogitatione."—
"Cavendum a luce nimis vivida, aut magno
"ſtrepitu, aut multo calore, aut ab omni de-
"mum moleſtia, veluti a ſitu corporis minus
"opportuno, aut lectulo inaequali, aut duriore,
"aut male ſtrato, quae ſenſum tactus affece-
"rit."—"Cavendum quoque a variis irritatio-
"nibus quae a functionibus, et magis adhuc a
"vitiis ventriculi et inteſtinorum, oriuntur;
"concoctio enim alimenti, quamvis ſaniſſima,
"corpus aliquantum excitat, et pulſus arteria-
"rum nonnihil feſtinat; prava autem concoctio,
"qualis fere accidit in morbis acutis, multo
"magis ſtimulat, diſtento nimirum, et irritato,
"et gravato ventriculo, onere corrupto et acre,
"quod anxietatem, et vertiginem, et dolorem
"capitis, et nauſeam, et vomitum, et tormina,
"et alvi fluxum, inducere poſſit."

Ad

Ad impetum ſanguinis minuendum, exinanitiones per vias naturales, et arte factae, aptiſſimae ſunt: Quarum praecipua ſunt, ſanguinis detractio, et alvi purgatio; maxima autem ſpes in ſanguinis detractione collocanda eſt; ad hanc igitur, ſub morbi initium, confugiendum eſt.

Quoties miſſio ſanguinis iteranda eſt, haud ſatis inter medicos conſtat: Pringelius, cujus obſervationes ſummam ſibi attentionem vindicant, hac de re ſic inquit.

"If the rheumatiſm was attended with acute pains, or ſwelling of the joints, the cure was chiefly to be obtained by repeated and almoſt daily bleedings, till the feveriſh heat and pain were entirely removed, or made much eaſier. In this courſe we may proceed the more ſafely, as thoſe who are ſubject to this kind of rheumatiſm, are generally in the full vigour of life, and are either plethoric, or able to bear ſuch evacuations;

cuations; add, that frequent bleedings weaken the body leſs perhaps in this diſeaſe than in any other."

Quamvis vero detractio ſanguinis iteranda ſit, tamen cavendum eſt ne nimia quantitas detrahitur; hoc enim facto, rheumatiſmus chronicus, hydrops, aliique morbi, ſupervenire ſolent.

Auctores ad impetum ſanguinis, in parte laborante, minuendum, ſanguinis detractionem ſpecialem praeſcribere ſolent, et quoque rubefacientia; his autem minime fidendum.

Alvi purgatio, ſi per cathartica parum ſtimulantia, et potius refrigerantia, in diatheſi phlogiſtica minuenda plurimum valet; magna vero moleſtia ab eorum uſu, ne ea multum in hoc morbo uſurpemus prohibet.

Corporis enim motus inter alvum evacuandam

dam dolores magnopere intendunt, aegrotum plurimum laceſſunt. Ut amoveamus igitur alvi duritiem, quae morbum ſemper intendit, ad laxantia mitiſſima ſola decurrendum; qualia ſunt manna, pulpa tamarindorum, ſoda tartarizata, ſoda phoſphorata, &c.

Enema emolliens quotidie multum quoque in hoc morbo proderit.

Remediis ad primum conſilium recenſitis, ad ſecundum, ſcilicet, ſpaſmum vaſorum extremorum ſolvere, nunc progredimur. Ad hunc finem varia medicamenta ſudorifica uſurpantur; horum omnium vero pulvis ipecacuanhae cum opio praeſtantiſſimum, tutiſſimum, et validiſſimum eſt. Melius mane exhibitur, quia excretiones inter vigilandum optimi perficiuntur, et pyrexia et dolores noctu plerumque intenduntur. Pro doſi hujus medicamenti, grana decem vel quindecem adhibere debemus, quae inter-

vallo duarum horarum repetenda eſt, donec ſudor prorumpere percipiatur; antequam ſudor prorumpat, aegrotantem a potu abſtinere oportet, ne vomitum excitet: Quam primum ſudor profluat, diluentia omnigena, potiſſimum ea, quae minime ſtimulant, qualia ſunt decocta hordeacea, quibus acidum fuit adjunctum, ſerum lactis, &c. liberaliter ſunt adhibenda.

Sudatio, niſi per horas duodecem perſtat, parum prodeſt; ſi vero in ſpatium viginti quatuor aut amplius protrahitur, multo efficacior erit.

Omnium antiſpaſmodicorum opium validiſſimum eſt, igiturque bonum remedium in hoc morbo eſſe videatur; ſed magnus Cullenus monet, eum morbum ſemper augere, niſi ſudorem excitet.

Praeter medicamenta jam enumerata, auctores nonnulli corticem Peruvianum multum laudant,

dant, et certiſſime, ſub finem hujus morbi, cum pyrexiae ſymptomata multum allevantur, ille magno cum beneficio adhibere poteſt; dotes enim ejus roborantes, in debilitate ſummovenda, maxime pollent; igiturque in rheumatiſmum chronicum proclivitatem amovent.

F I N I S.